

tro al Sacerdote, venga l'Ombrella ad ampiamente distendersi sopra'l capo del medesimo.

93 94 De Baldachino autem ideo hic in Rubrica mentio fit, quia supponit, non adesse Umbellam, quae si adesset, tunc Baldachini cessaret usus. De facto Umbella est magis consona negotio viatorio prout est Viaticum: Baldachinum vero ad processiones adhibetur, et majorem numerum portantium requirit, quando Umbella ab unica tantum persona defertur.

§. X. Praemoneat, ut Aegri cubiculum mundetur, et in eo paretur mensa linteo mundo cooperta, in qua Sanctissimum Sacramentum decenter deponatur.

95 96 97 98 Cessarunt tempore Fel. Mem. Innocentii Papae XII. pene omnes istae provisiones de paranda mensa, et linteo mundo ad ibi deponendum Sanctissimum Viaticum in cubiculo Aegroti; ex quo nonnulla monita, et decreta promulgavit, in quibus Parochorum diligentiae totum id commisit ordinavitque, ut quisque conficeret Baldachinum parvum portatile plicandum pro commoditate, et explicandum in Domo Aegroti cum caeteris suppellectilibus ad hoc necessariis, in libello inscripto italice: *Regole, et Istruzioni, che si devono osservare nell'accompagnamento del Santissimo Viatico, Romae 1695.* Nihilominus de hac Rubrica ut aliquid dicamus, mone re debet Parochus habitantes in domo Infirmi communicandi, quod quantum fieri potest, mudent a quibuscumque sordibus non tantum cubiculum, sed etiam cubile, in quo jacet Aegrotus, demonstrando illi dignitatem tanti Sacramenti, et magnitudinem Regis Regum, pro cujus accessu munda deberent esse omnia et nitida.

99 Sed de hoc generaliter dici debet: in particulari enim datur saepissime casus, ut haec mundities haberi non possit, cum quandoque necesse sit deferre Viaticum (praecipue in Villis) alicui Infirmo, in stabulo, seu super foenile, aut in alio viliori, et sordidiori loco jacenti. Tunc Parochus, si cohabitantes hoc non valeant prestare, secum deferre debet Mensam, et linteum mundum, ut minus indecenti modo Pyxis collocetur, donec Sacramentum ministret.

§. XI. Parentur luminaria, ac duo Vascula, alterum cum Vino, alterum cum Aqua: praeterea linteum mundum

ante pectus communicandi ponatur, atque alia ad ornatum loci, pro cujusque facultate.

100 101 Bene dixit Rubrica, *pro cujusque facultate*: nam locus quandoque datur, in quo ista commoda ad munditiam abundant, et locus, in quo omnia desiderentur. Quare similiter hic dico, prout dixi in antecedenti Rubrica de mensa, et linteo: Luminaria si non adsint, deferat Parochus, eo magis quia credendum est, per verba *Luminaria*, intelligi debere Laternas, de quibus in §. 8. satis diximus; aut Candelabra, et candelas saltem binas, *Act. Med. 4.*

102 Vascula bina pro Aqua, et Vino sint parva, et vitrea, sufficit enim, ut tantum humoris capiant, quantum sufficit ad purificandos digitos Sacerdotis, ut dicemus §. 25. hujus Tituli. Aqua tantummodo necessaria est, imo Vinum esset omnino excludendum, ut eodem §. 25. demonstrabo suis rationibus. Quare S. Corolus, *Act. 4.* unum Vasculum tantummodo praecipit ad abluionem usum.

De linteo mundo servabitur eadem regula juxta facultates communicandi, cui debet supponi mento, et explicari ante pectus, ut in casu tussis impetuosae, vel vomitus repentini, in illo recipiatur Eucharistia.

103 Addam denique, ubi haec omnia desint, paranda esse apud aegrotum a sodalibus Societatis Sanctissimi Sacramenti, qui hoc charitatis officium faciles ministrabunt.

DO

COMMUNIONE INFIRMORUM.

TITULUS VICESIMUS SEXTUS.

SUMMARIUM SECUNDUM.

- 1 Sodales SS. Sacramenti ex institutione id praestare debent.
- 2 Nemo de jure obligari potest ad associandum SS. Sacramentum.
- 3 Clerici et Sacerdotes an cogi possint ad hanc associationem?
- 4 Ministratio Viatici est ministratio Altaris.
- 5 Ratione ordinis Clerici, et Sacerdotes possunt obligari.
- 6 Stola albi coloris adhibenda.
- 7 An possit Viaticum ministrari a Parocho absque vestibus Sacris?
- 8 Pluviale est Vestis viatoria.
- 9 Pluviale esset adhibendum in ministratione Viatici.
- 10 Maxime si tempus, et Personae id postularent.
- 11 Acolythi debent interesse huic processioni.
- 12 Stola debet adhiberi a solo Parocho.
- 13 Duae Particulae consecratae saltem portandae in administratione Viatici.
- 14 Sufficit una si iter longum esset.
- 15 Et quando Populus retrocedere non debeat.
- 16 Custodia loco Pyxidis adhibenda, quid sit?
- 17 *Scattola* ex metallo facta, sed intus inaurata.
- 18 Ejus usus pro evacuando ostensorio.
- 19 In sacculo reponitur, si iter cum Viatico sit longum.
- 20 Omnimode inservit ad id, cui inservit Pyxis.
- 21 Pyxis accipi debet ambabus manibus.
- 22 Quid significant ambae manus?
- 23 Deferentes Baldachinum cauti sint.
- 24 Minister debet incedere detecto capite.
- 25 Impetratur ab Urbe dispensatio capitis velandi, sed non intra Canonem.
- 26 Episcopus dispensare non potest circa Baculum, et Pileolum in Missa.
- 27 Supellex deferenda ad Domum Infirmi.
- 28 Acolythus inter Clericos est Altari proximior.
- 29 Antiquitus una tantum laterna adhibebatur.
- 30 Noctu non deferendum Viaticum nisi in periculo mortis.
- 31 Si de die deferatur Viaticum magis decorum.
- 32 Qui sine necessitate, noctu ministraret Viaticum, peccaret.
- 33 Loco Clericorum possunt intrare Laici.
- 34 Aqua benedicta deferenda est, si non adsit in Domo aegroti.
- 35 Aspergillum ex quacumque materia confici potest.
- 36 Aquae benedictae significationes.

- 37 Non in vanum adhibetur ante administrationem Viatici.
- 38 Bursa, et Corporale adhiberi debent.
- 39 Bursa haec ad nihil aliud inservire deberet.
- 40 Purificatorium, quid sit?
- 41 Antiquitus loco Purificatorii inserviebat Manipulus.
- 42 Ad quem finem deferatur cum Viatico?
- 43 Liber Ritualis deferendus est.
- 44 Campanula in itinere Viatici pulsanda.
- 45 Significatio hujus Campanulae.
- 46 Nosocomium S. Annae Ferrariae proestat Campanulas Parochiis pro Viatico.
- 47 Bini bini procedant qui comitantur Process. cum Viatico.
- 48 Sacerdos tenet locum digniorem.
- 49 *Miserere*, Psal. recitandus in Processione Viatici.
- 50 Quare hoc loco recitetur?
- 51 Alii Psalmi, Hymni, et Preces recitandi in dicta Processione.
- 52 An Psalmi, et Hymni canendi sint tono Gregoriano?
- 53 Rosarium B. M. V. recitatur in Villis, loco Psalmorum.
- 54 De necessitate quandoque equitandi cum Viatico.
- 55 Bursa cum Sacramento pendere debet e collo Sacerdotis.
- 56 Pax primo annunciat Domum Infirmi.
- 57 Actus reverentiales varii faciendi Sacramento.
- 58 Gunflexio quid importet?
- 59 Aspersio fit circa lectum Infirmi.
- 60 Visitatio Infirmi cum Viatico non debet esse prima.
- 61 Paenitentiae Sacramentum debet prius ministrari infirmo.
- 62 Ante ministrationem Viatici debet Parochus interrogare Infirmum.
- 63 Nonnulla alia praemittenda ante ministrationem Viatici.
- 64 Casus de Confiteute prolixo in casu Viatici.
- 65 Parochus interrogare debet Infirmum secreto.
- 66 Integritas confessionis remitti potest in casu Viatici.
- 67 *Confiteor* est confessio generalis.
- 68 Ratio cur dicitur *Misereatur tui*, non *vestri*.
- 69 Infirmus una cum Sacerdote dicat, *Domine non sum dignus*.
- 70 Formula ministrandi Viaticum.
- 71 Formula omittenda non est a Sacerdote ministrante.
- 72 Clare exprimi debent verba formulae.
- 73 Infirmus interrogari debet, an velit sumere Viaticum?
- 74 Formula ista non dicitur quando Infirmus communicat ob devotionem.
- 75 In periculo proximo mortis, omitti potest formula.
- 76 Casus iste difficiliter dari potest juxta alicujus opinionem.
- 77 Haec singularis opinio minime sequenda est.
- 78 Adducitur Canon ex quo colligitur communis sententia.
- 79 Abluens digitos Sacerdos nihil dicit.
- 80 Ablutio an facienda sit Vino, vel Aqua?
- 81 Vasa pro Aqua, et Vino parata ad hoc inserviunt.
- 82 Laudabilis est, ut Aqua se abluat.
- 83 Vinum Purificationis non semper dandum Infirmo.
- 84 Ablutio quando non ebibatur, reportanda, vel igni tradenda.
- 85 Una particula remanere debet pro reditu, generaliter loquendo.
- 86 Sacerdos non debet deserere Infirmum non benedictum.
- 87 Nihil dicendum in tali benedictione.
- 88 In benedictione cum Sacramento, semper tacendum.
- 89 Verba in communione non sunt pro benedictione.
- 90 Aliam regulam tenendam docuit S. Carolus.
- 91 In reditu omnia servantur quae in accessu.
- 92 Psalmi, et Hymni mutantur, et sunt pro gratiarum actione.
- 93 Sacramentum deponendum super Altare, et expectandus Populus.
- 94 *Tantum ergo*: hoc loco cantari solet.
- 95 Hymn. *Pange lingua* supponitur jam expletus.
- 96 *Dominus vobiscum* amplius non dicitur.
- 97 Indulgentiae annuntiari debent a Parocho.
- 98 Quot et a quibus concessae sint Indulgentiae?

- 99 Benedici debet Populus, nihil dicendo.
- 100 Quando Sacramento non reportatur, benedicitur Infirmus manu Parochi,
- 101 Deponitur vestis a Sacerdote antequam e domo exeat Infirmi.
- 102 Suppellex reportanda ad Ecclesia.
- 103 Thuribulum cum incenso in civitatibus adhibetur in Processione Viatici.
- 104 Cum Communicat Sacerdos pro Viatico, deferenda est stola separata.
- 105 Regulares tenentur praestare commodum Parocho extrahendi SS. Viaticum.

§. I. Ubi vero convenerint qui Eucharistiam comitaturi sunt, Sacerdos indutus superpelliceo, et stola, et, si haberi potest, pluviali albi coloris, Acolythis, seu Clericis, aut etiam Presbyteris (si locus feret) superpelliceo pariter indutis comitatus, decenter, et de more acceptas aliquot particulas consecratas, vel unam tantum (si longius, aut difficilius iter sit faciendum) ponat in Pyxide, seu parva custodia, quam proprio suo operculo cooperit, et velum sericum superimponit.

1 2 3 4 5 Cum nemo de jure obligari possit ad associandum Sacramentum Infirmo, sed tantum ex charitatis, et devotionis gratia id proveniat, nescio propterea, de quibus intelligere velit rubrica haec dicens (*qui Eucharistiam comitaturi sunt*) nisi intelligat de sodalibus Societatis SS. Sacramenti, qui ex institutione tenentur sub poena privationis fructuum Spiritualium, ut in Bulla Pauli Papae III enunciata sub §. 9. hujus tituli: Sed in locis, in quibus talis Confraternitas instituta non adsit, hoc praeceptum non valet. Sunt ne cogendi Clerici, et Sacerdotes illius Parochiae ad interessendum ministratiōi Communionis per Viaticum? Ego opinor, quod possint cogi, saltem quando alii, qui comitentur, desint. Ratio est quia cum Clerici, et Sacerdotes Altari dedicati sint, et ejus ministerio: *Catech. Rom. de Sacr. Ord.* debent interesse ratione officii ad hoc ministerium, et Ordinis exercitium peragere; aliter enim pene inutiliter ordinarentur. Ministratio viatici non potest controversi an sit ministratio Altaris, quia Sacramentum de Altari sumitur. Ordines insuper minores, fere singuli in hac functione exercitium habent. Claves Ecclesiae, Campanae, Candelabra, Vascula, Lectio, et alia, quae materia sunt Ordinum minorum, in hac ministratiōe adhibentur: unde ratione Ordinis iterum dico, quod possint obligari ad hanc associatiōnem, praecipue quando alii non adsint. In Constitutionibus Synodalibus quarundam Ecclesiarum haec inter alias obligationes Clericorum injuncta est, et S. Carolus in suis *Conc. Provincialibus* hoc rigore praecepit, et alibi pluries in *Act. Ecl. Mediol.*

6 7 Stola in hoc ministerio semper dedet esse albi coloris ut alibi diximus. Haec cum aliis est vestis Sacerdotalis praescripta in administratione Sacramentorum. Verum an liceat Parocho sine vestibus Sacerdotalibus ministrare Eucharistiam Infirmo in articulo mortis, negat Fagundez *p. 3. l. 1. c. 4. nu. 10.* Ratio hujus Doctoris est, quia Vestes conducunt ad debitam reverentiam, ac tractationem tam Ven. Sacramenti. Ita Navar. in *Man. lat. c. 21.* Henriq. *l. 8. de Euch. c. col. 1. lit. F. et G.* Sot. in *4. dist. 9. q. 1. art. 4.* et alii.

8 9 10 Alia vestis Sacerdotalis est Pluviale, quae proprie est vestis viatoria tempore pluvio, Macri *Hierolex.* de qua alibi diximus, ideo in Viatico esset abhibenda: Unde *Conc. prov. 3.* praecipit, quod in illo deferendo, utatur Sacerdos pluviali, ubi tamen pro loci, temporisve conditione fieri poterit, Gavant. *d. num. 45. addit.* In locis insignioribus annuit Rituale, et ego ultra addam etiam Personas insigniores communicandas, puta Cardinales, Episcopos, Principes, Reges, et hujusmodi, etiam si tempus pluvium esset. Nota insuper illud *albi coloris;* qui color est unice congruens Eucharistiae.

11 Cur ante Clericos majores, et Sacerdotes specificae, et distincte nominentur Acolythis, credo quod sit, quia Acolythis officium est praecise ministrare ad Altare. *Prov. p. 2.*

12 Superpelliceum isti omnes debent induere, non vero stolam, quamvis sint Sacerdotes, quia unice Parochus habens jurisdictionem, habet jus deferendi stolam, Cleric. *dec. 30. n. 23.*

13 14 15 16 17 18 19 De Particulis sermo sequitur. Duas tantum assignat Gavant, *d. nu. 47.* una administranda Infirmo, altera pro reditu, nisi loci distantia, aut alia causa aliter suadeat, S. Carolus vero *Act. p. 4.* in instructionibus pro visitatione Infirmorum clarius loquitur dicens: *Particulas autem duas feret, nisi cum aliquando, ob mortem instantem, vel noctu defert; vel certus est Parochus necesse esse, ut statim post Communionem, extremam etiam Unctionem ministret.* Utique in longo itinere tempore pluvio, et in via in via, maximi incommodi esset: si tum Sacerdos, tum Populus retrocedere deberent cum debita reverentia, et decore: ideo pia Mater Ecclesia hoc permisit, ut unica particula in hoc casu deferri posset. Loco Pyxididis loquitur Textus noster de parva custodia, quae loco pyxididis suffecta videtur. Custodia est capsula, seu capsula ita appellata a Durant. allegat. a Macrio verbo *Pyxis*, Italice vero *Scattola*, Nenag. et Ferrar. in *Orig. ling. Ital.* ex metallo facta, sed intus inaurata ad instar Calicis, et Pyxididis, cum suo operculo. Et eo quia intus servat, et custodit Eucharistiam, communiter appellatur *Custodia.* Ejus usum praecipue vidi ad reponendam Hostiam consecratam, quae in Ostensorio exponi debet tunc quando Tabernaculum non sit capax retinendi in se dictum Ostensorium; et in aliquibus Ec-

clesiis in usu est ad retinendam Particulam consecratam pro Viatico, quando iter longum agendum est, et via sit lubrica, vel difficilis: tunc in sacco haec Custodia a collo Sacerdotis pendere debet, utpote Pyxide commodior. Hanc Custodiam coopertam deferri debere praecipit Rubrica, quando dicit: *Velum sericum superimponit*, quod Velum idem est ac illud, de quo in sequenti §. sermo erit.

§. II. Ipse vero Sacerdos imposito sibi prius, ab utroque humero, oblongo Velo decenti, utraque manu accipiat Vas cum Sacramento; et deinde Umbellam, seu Baldachinum subeat, nudo capite processurus.

20 21 De velo quod humerale dicitur, jam satis diximus in §. 8. Sacerdos ambabus manibus debet Pyxidem, seu Vas cum Sacramento accipere, ut ita firmiter illud teneat, nec ita facile labi possit. Ambae manus significant firmam intentionem in opere, quod ministratur, Valer, *Hierogl. c. 26.*

22 23 24 25 Sint porro cauti qui Baldachinum, seu Umbellam deferunt, ut semper perpendiculariter sit supra caput deferentis Sacramentum, nec illam ad impediendos Solis radios flectant, et demittant, adeo ut in tali actu detegatur Sacerdos, et Sacramentum: eo magis quia detecto capite debet Minister procedere in hac ministratione, ob reverentiam Sacramentorum maximo debitam. Zacharias Papa jussit, ne velato capite Sacerdotes adstarent Altari, *c. nullus. de consecr. dist. 1.* Extra Canonem impetratur ab Urbe dispensatio capitis velandi, sed non intra Canonem, quia Sacramentum patet, Gavant. *par. 2. tom. 2.* Igitur cum pateat etiam in ministratione Viatici, debet deferri nudo capite, quovis praetextu remoto: unde quando quaesitum fuit apud S. Rit. Cong. *An Parochis ministraturis SS. Eucharistiae Sacramentum infirmis, liceat de die, vel saltem de nocte uti parvo pileolo in delatione ejusdem sub infirmitatis, seu quovis alio praetextu?* Eodem S. C. respondit: *non licere, nec posse;* die 13. Aug. 1695. Quod decretum publicatum fuit anno 1996. per allegat. a Sarnell. *d. ep. Eccl. tom. 4. ep. 26. num. 4.* ex quibus Nicolius *lucubr. can. 3. tom. 41. de celebr. Miss.* eruit hanc doctrinam. *Episcopus dispensare non potest, ut Sacerdos accedat ad Altare cum baculo vel pileolo in celebratione vel dum Viaticum defert ad Infirmos, utatur; quia talia c. nullus 57. de consecr. dist. 1. etiam Episcopo prohibet. Ergo neque secum, neque cum aliis dispensare potest, sublata quacumque contraria consuetudine.* S. C. Rit. 31. Januar 1626. Pasqualigus tamen *de Sacr. nov.*

leg. tom. 2. qu. 833. contrariam opinionem tenet; sed animadvertendum est, hujusmodi doctissimum Theologum antiquiori tempore floruisse, ante promulgationem superenunciati decreti: atque ideo illius opinioni parcendum, eo magis quia Rubricam nostram visus est ignorare, cum *ead. q. n. 1.* aperte dicat: *Nihil in Ecclesia reperiri determinatum, quod deferens Eucharistiam Infirmis procedat detecto capite: et id ex sola consuetudine servari.* Quando verba Rubricae praesentis satis de se sensum suum aperiunt verbis illis: *nudo capite processurus;* ex quibus infertur praecipit hoc addesse; nec ex sola consuetudine id praestari: ex quo fit, ut ejusdem Doctoris sententia, circa hoc, non sit amplectenda.

§. III. Praecedat semper Acolythus, vel alius Minister deferens Laternam (noctu autem hoc Sacramentum deferri non debet, nisi necessitas urgeat) sequantur duo Clerici, vel qui illorum vices suppleant, quorum alter Aquam benedictam cum Aspersorio, et Bursam cum Corporali, quod supponendum erit Vasculo Sanctissimi Sacramenti super mensa in cubiculo Infirmi, et cum linteolo purificatorio ad digitos Sacerdotis abstergendos: Alter hunc Librum Ritualement deferat, et campanulam jugiter pulset.

26 Haec est cuncta supellex ad domum Infirmi deferenda, unde patet necessitas habendi plures Ministros.

27 Primo Acolythus. Hic Clericus praesertim nominatur, quia inter Clericos est Altari proximior, et proprie ferre debet luminaria vi Ordinis sui.

28 Secundo Laternae; de Laternis jam supra verba habuimus, sed hic advertendum est, quod antequam usus esset deferendi laternones ad hoc postea institutos, una tantummodo laterna adhibebatur, ut venti impetu extincti cerei, de novo accenderentur ministerio luminis in Laterna clausi, cui nihil nocere poterat Ventus.

29 30 31 Tertio, Tempore noctis, S. Carolus *Act. p. 4.* ait, et praecipit, *Noctu non afferri, nisi periculo mortis instante.* Sed tamen in aliis Instructionibus pro cura, et visitatione Infirmorum, de tempore noctis loquendo, videtur, ut aliquando ista administratio tali tempore ab eodem permittatur. Equidem cum saepe saepius possit dari repentina occasio morbi periculosi, non debebat ligari, et prohiberi Parochus ab hujusmodi administratione noctis tempore: nam quacumque hora diei

potest quisque communicari, cum proximus morti sit, Coninck *q. 80. art. 8. n. 49.* Verum enim est, quod magis ad ipsiusmet Sacramenti reverentiam spectat, si de die deferatur ad aegros, quam intempesta nocte, Coninck *d. n. 51.* nihilominus necessitati succurrendum est; neque in hoc potest dari certa regula. Advertere tamen debet Parochus ad hanc positivam necessitatem, extra quam si Sacramentum Eucharistiae administraret, non sine peccato esset, quia contra praecepta Rubricae inconsulto, et sine ratione ageret.

32 Quarto. De Clericis associantibus. Providus Textus advertens, quod non semper haberi possunt Clerici, praesertim in locis ruralibus, substituit alios ministros, qui illorum vices suppleant, ex ea regula quod ministri impediti vices supplentur a viciniore, Ursaya *p. 2. d. 25. n. 7. T. 4.* In quo casu quisque de populo potest deferre lumina, et res necessarias.

33 34 Quinto. De Aqua Benedicta. Alio loco de Aqua benedicta sermo erit, cum de ejus benedictione verba erunt faciendae. Modo Parochus advertere debet, ut secum deferat hanc Aquam, praesertim ad domus, in quibus rationabiliter potest credere, quod non adsit, ut in rusticis domibus evenire solet. Si vero sermo sciat, hanc in illo loco paratam esse, abstinebit ab ea ferenda: attamen secum afferet aspersorium, ut in illo possit uti aspergendo cum dicit. *Pax huic domui, etc.* Hoc Aspersorium ex quacumque materia confici potest, etiam ex ligno, e pilis, ex herbis prout antiquitus, Panvin. *de lud. Circ. l. 4. cap. 3.* Aspergillum etiam nuncupatur: de quo vide quae scribit Macrius in *Hierolea.*

35 36 Inservit Aqua benedicta ad multa officia, ut ad illius particularem Rubricam dicemus, *De ordine eam faciendi, etc.* Pro nunc sciendum est, ex Aquae hujus lotionem indicari Christi fidelibus qualis esse debeat cor illorum in conspectu Domini, ut per Isajam *cap. 1. Lava a malitia cor tuum, etc.* Inter effectus hujus Sacrae institutionis primus est, ut Anima mundet a maculis venialium peccatorum, ut declarat Alexand. PP. in *Can. Aquam, de consecr. dist. 3.* ubi *Canonistae, etc.* quamvis multi velint hoc contingere ex opere operantis, est quoque satis probata opinio, id fieri ex opere operato, ex relat. per Greg. de Valentia, *t. 4. disp. 7. qu. 4.* Inservit ad effugandos Daemones, et Incantationes, ut in *d. c. Aquam, etc.* necnon valet ad corporis sanitatem, et ad alia similia, ut de tali effectu exoratur Deus in illius benedictione, prout in formula. Vide quot in instanti sanati sint sola Aquae benedictae aspersione apud Casal. *dict. c. 36.* Igitur cum ad suum finem omnia ab Ecclesia instituta sint, Aqua haec non in vanum adhibetur ante administrationem Sanctissimi Viatici. Infirmi enim animam purgare debet a peccatis, et quamvis Sacramentum cum venialibus stare possit, nihilominus dignitas Sanc-

tissimae Eucharistiae, cor omnino mundum requirit. Insuper cum in illa hora, quae ad exitum prope est, Diabolus tanquam Leo rugiens circumeat quaerens quem devoret, fugantur ejus insidiae ab hac Aqua. Denique si Dei voluntas est, ut Infirmus convalescat, valet ad restituendam salutem corpori.

37 38 Sexto. Bursa in hac suppellectili locum habet cum corporali. Ista quoque necessaria sunt ad rite, et recte ministrandum Viaticum. Bursa (quae albi coloris esse deberet) ad custodiam Corporalis: Corporale vero ad illud explicandum supra mensam prope lectum Infirmi, ut in illo deponatur Pyxis. Meminerint Parochi, laudabile esse, si haec Bursa ad nihil aliud inserviat, et omnino sit a Sacris Vestibus Altaris separata, et semper in se contineat unum Corporale album, et mundum, quod non semper evenit in Bursis Missae inservientibus.

39 40 Septimo. Dicendum est de Purificatorio, de quo nihil in antiquis invenisse testatur Gav. *dict. p. 2. t. 1. lit. i.* Est Linteolus, quo calix tergitur, et purificatur, qui benedici non solet, Suarez *3. dist. 81. sect. 8.* num antiquitus, ut ait Macrius non erat in usu, cum Manipulus ad hoc inserviret. In ejus medio solet Crux acu designari, ut a caeteris linteolis pro Sacrificio praeparatis distinguatur.

41 Definitio Macrii nimis compendiosa est, quia non tantum inservit ad tergendum, et purificandum Calicem, sed etiam ad tergenda labia Sacerdotis, et digitos. Ideoque ad hunc finem defertur in Communionem ad Infirmos, nempe ut illo tergat digitos post ablutionem factam, peracta Communionem. Solet deferri hoc Purificatorium in Bursa cum Corporali, si illud non teneat Sacerdos pedi Pyxididis involutum ad illam commodius stringendam.

42 Octavo. De libro Rituali mentio est. Et Rubrica concordat cum jam alibi dictis in Titulo de Sacramentorum administratione, ut Ritus servet, et caeremonias in eo praescriptas quod non ita facile ageret, si uteretur alio libro.

43 44 Nono. Remanet dicendum de Campanula jugiter pulsanda. Haec manualis, et portatilis esse debet, pulsaturque ad cultum Sanctissimi Sacramenti, ut diximus in hoc eodem titulo, §. 9. Proprie ista debet praecedere quoscumque in hac processione, et sit, ut ejus sonitu frequenti admoneatur Populus ad accurrendum, seu ad actum venerationis praestandum, dum transit per vias SS. Sacramentum, sicuti in Veteri Testamento Levitae tempore Sacrificii tubis elangebant argenteis, quarum sonitu Populus provocabatur ad adorandum, Durand. *l. 4. c. 41. Gavant. d. p. 2. t. 9. lit. h.*

45 Pro coronide, et ad eruditionem Lectoris, hoc addam: Campanulae ad usum Viatici in Civitate Ferrariae gratis elargiuntur singulis Ecclesiis Parochialibus quandocumque occur-

rat, a magno Nosocomio S. Annae, ex institutione, et vigore legati facti ab Alphonso Duce Ferrariae in ejus condito Testamento sub die 26. Octob. 1534. ex rogibus Jo: Bapt. Sarachi Notarii, et Ducalis Cancellarii.

§. IV. Succedant deinde deferentes intortitia, etc,

46 Procedant bini bini isti deferentes Intortitia, seu luminaria, et curent Ministri, ut pari passu gradientur. non vero disgregatim.

§. V. Postremo Sacerdos Sacramentum gestans elevatum ante pectus sub Umbella, dicens Psalmum *Miserere mei Deus*, et alios Psalmos, et Cantica.

47 Tamquam dignior, locum hunc tenere debet Sacerdos: si enim inter praerogativas Sacerdotis est, quod homines divinos faciat, Beyer. *de Hierarchia Eccl. ac Praeeminentia Sacerdot. qu. 7. cap. 10.* multo magis quodammodo divinizatur per proximitatem Dei, quem in manibus tenet.

De modo tenendi Sacramentum elevatum ante pectus jam diximus Paragraphis 8. et 21. ac etiam de Umbella deferenda. Restat, ut de Psalmis, et Canticis aliquid dicamus.

48 49 50 51 Rubrica primo loco assignat Psalm. *Miserere*, qui est Poenitentialis, et vere convenit huic ministerio, in quo pro Infirmo communicando impetrari debet Divina miseratio. Si iste Psalmus juxta itineris longitudinem non sufficeret, alii Psalmi Poenitentiales recitari possunt: et si rursus tempus superesset, Cantica superaddantur, qualia sunt illud trium Puerorum *Benedicite omnia opera Domini Domino*; seu illud Ezechiae: *Ego dixi, In dimidio dierum meorum, etc.* et alia hujusmodi, quae in Sacris Bibliis habentur, et quotidie in Divinis Officiis cantantur. An vero isti Psalmi, et ista Cantica canenda sint in tono, et cantu, standum est loci consuetudini. In cultioribus Civitatibus, et Ecclesiis utique cantantur more Cherali, et sexto tono.

52 Porro in locis ruralibus, ubi desunt ministri Ecclesiastici, et Clerici, qui valeant alternatim respondere in recitatione Psalmorum, et Canticorum, quia ut plurimum Populus rudis est, consuetudo viget recitandi Rosarium Beatiss. Mariae Virginis, ne solus sit Sacerdos qui cantet, et caeteri in silentio iter progrediantur.

§. VI. Quod si longius, aut difficilius iter obeundum sit, et fortasse etiam equitandum, necesse erit vas, in quo Sacramentum defertur, Bursa decenter ornata, et ad collum appensa, apte includere, et ita ad pectus alligare, atque obstringere, ut neque decidere, neque Pyxide excuti Sacramentum queat.

53 In necessitate equitandi, pro delatione Sacramenti, curare debet Sacerdos, ut equus mansuetus sit, et docilis, non vero audax, acer, indomitus, et sternax, ne se periculo labendi exponat. Quod de equo diximus, dicatur de quocumque alio quadrupede apte ad equitandum. Si vero Parochus vel equitare nequeat, vel artem insistendi equo non calleat, vel timeat sui, in hoc casu, omni labore, et incommodo spreto, pedibus eat eo modo quo potest, identidem se sistendo sibi opus fuerit ad se restaurandum.

54 Bursa, de qua hic loquitur Rubrica, non est eadem ac illa, in qua reponitur Corporale, et ad Altare inservit, sed est plicabilis, et manualis, quae proprie Mantica, seu *Bisaccia*, appellatur ad instar Marsupii, ut bene clausam, et custoditam teneat Pyxidem. seu custodiam, et capsulam Sacramenti ad evitandam agitationem, seu excussionem Particulae in itinere.

§. IX. Ingrediens vero locum, ubi jacet Infirmus, dicat: *Pax huic domui, et omnibus habitantibus in ea.*

55 Juxta illud Div. Lucae 10. *In quamcumque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui, etc.* Et significat pacificum ejus qui venit; et salutem adventum, Maldonat. in *Matth. 10.* Ita in Genesi habemus, *cap. 43. At ille respondit, Pax vobiscum: nolite pavere, et Judic. 6. Pax tecum. ne timeas, etc.*

§. VIII. Tum depositum Sacramentum super mesa, supposito corporali, genuflexus adorat, omnibus in genua procumbentibus; et mox accepta aqua benedicta, aspergit infirmum, et cubiculum, dicens Antiphonam, *Asperges me Domine*, etc. et primum versum Psalmi, *Miserere mei*, cum